



Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

20. Dies Novemb. Væ animæ audaci, quæ speravit, si à te recessisset, se
aliquid meliùs habituram. S. Augustinus Tract. in Joan.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

patam teneret; ita enim quoad hoc iam reddita sum illi
 ra, ut cum vel solum mentis, & considerationis oculis
 imaginem, quam animo insculptam gero, conicio, et
 tempore, cuncta quae video, mihi abominabilia, & ipse
 dio esse videntur. Et alibi: (a) Omnium rerum nostrarum
 contemptus, ac fastidium, quod in me permansit, pro
 magnum erat, adeo ut illi non nisi sordes, & perispermata
 se viderentur, & ad oculum videam, quam abjecte
 viliter nos occupemus, cum illis inhareamus, vere:
 Hic quidquid pulchrum, non est nisi putre sepulchrum.

20. DIES NOVEMB.

Vae animae audaci, quae speravit, si à te recessisset, et
 aliquid melius habituram. S. Augustinus Tractat.
 in Joan.

Deus a- I.
 mandus
 solus.

Quasi verò detur aliquid me-
 lius optimo? detur aliquid
 majus maximo? detur al-
 quid altius altissimo? detur al-
 liquid plus quam omnia? detur aliquid amplius
 quam totum? Id opinari, melius aliquid dari ma-
 ximo Bono, non tantum est summa audacia, sed et
 ma malitia. Quapropter, tibi ipse es plus quam tri-
 quus, si ames bonam, quae te non possunt amare, aut
 homines, qui possunt te non amare; & licet amant
 tu potes dubitare, an te ament & possent illi delinere
 te amare. An non tibi melius, quia utiliùs, & delecta-
 bilius amare illum, qui solus est amabilis? vel si sint a-
 mabilia, ab illo habent, quod sint digna amari? Deum
 inquam, qui quantum potuit amat, & in fine amat,
 & qui nequit non te amare si ames, & qui te amando
 reddit caelo, & terrae, hominibus, & Angelis amabi-
 lem.

(a) c. 38.

lem, quia amando te, reddit te bonum, hoc est filium sibi adoptivum, dilectum amicum, gloriae suae heredem, regni sui jure participem. Amasti aliquos, qui te non amarunt? Jam saltem, licet serò, tandem serò ama illum, qui antequam eum novisses, te amavit, qui amatus nunquam non amavit, & amando cogit se amari, quem amare summa est virtus, à quo amari, est salus: quem amare maxima est dignitas, à quo amari, ultima est foelicitas: quem amare suprema est potentia, à quo amari prima est excellentia. Ama eum, quem non amare summa est infœlicitas, à quo non amari par est calamitas: quem non amare, certa est perditio, à quo non amari, non incerta damnatio: quem non amare execrabilis est malitia, à quo non amari omnis est miseria. Ama fortiter, constanter, ardentem, nihil sit in cœlo vel in terra, quod illum nexum charitatis inter te, & Deum, qui est charitas, solvat, ut audeas masculinâ voce petere quod Paulus: (a) *Quis nos separabit à charitate Christi? an angustia? an fames? &c.*

II. Quæ hunc in modum explicat Augustinus: (b) *Nemo nos inde separat minando mortem: id ipsum enim quod diligimus Deum, mori non potest, nisi dum non diligit Deum; cum mors ipsa sit, non diligere Deum: nemo inde separat, pollicendo vitam: nemo enim ab ipso fonte separat, pollicendo aquam; non separat Angelus: non enim est angelus, cum inhaeremus Deo, nostra mente potentior. Non separat virtus: nam si virtus hic illa nominata est, quæ aliquâ potestatem in hoc mundo habet, toto mundo est omnino sublimior, mens Deo inhaerens: si virtus illa dicta est, quæ ipsius animi nostri rectissima affectio est: si in alio est, favet ut conjungamur Deo: si in nobis ipsa*

(a) Rom. 8 (b) lib. de morib. Eccles. c. II. cor

conjungit: non separant instantes molestia: hoc enim leviores eas sentimus, quo ei undè nos separare moluerim, arctius inhaeremus. Non separat promissio futurorum: nam & quidquid boni futurum est, certius promittit Deus, & nihil est ipso Deo melius, qui iam profectò bene sibi inhaerentibus praesens est. Non separat altitudo, neque profundum, etenim si haec verba scientia forte altitudinem vel profunditatem significant, non ero curiosus, ne sejungar à Deo, nec cuiusquam doctrina me ab eo separaret, ut quasi depellat errorem, à quo nemo prorsus nisi preparatus erraret. Si verò altitudine, & profundo superna, & inferna hujus mundi significantur, quis mihi caelum pollicetur, ut à caeli fabricatore sejungar? aut qui terreat infernus, ut Deum deseram? quem si nunquam deseruisssem, inferna nescirem? postremò, quis me locum ab eius charitate divellet? qui non ubique totus esset, si ubi contineretur loco. Haecenus Divinè divinus Augustinus.

III. Toties porrò separaris à charitate, quoties separas tuum in alios quàm in Deum amorem. Vagetur quocumque tuus extra Deum amor, nihil tibi occurret, nisi amator. Et quod est amarissimum, postquam tuum in varios, & varia amorem separaveris, tandem ubi corpus ab anima separabitur, haec erunt ultima, quæ tibi palabundus ille tuus amor suggeret verba (a) Scito, & vide quia malum, & amarum est, reliquisse te Dominum Deum tuum. Ne igitur ames ea, quæ aliquando pereunt, quia quotidie mulies peribis; ama bonum æternum, ut in æternum beatè vivas. Aufer amorem rerum corruptibilium & non corrumpere: contemptibilem, & non contemne.

(a) Jer. 2. 19.

Novemb.

Tessera.

929

temneris : miserabilium , & auferes tibi omnem miseriam . Cur amas , & quid amando intendis ? nunquid ut tibi benè sit ? Qui igitur amando quæris benè esse , cur amas eaquæ hoc ipso quod amas , miser eris ? Ama illum , qui etiam inter has miserias vitæ in qua replevis multis miseriis , tollat miserias , & reddat te scælicem . Quid amas bona , quæ si frueris , te faciunt malum ; si optas , miserum ; si amittas mortuum : ut quid amas homines , qui si te ament , faciant mollem , & enervem ; si non amant , iracundum ? Ama Deum , quem si optas te faciet bonum : quo si fruaris , beatum . Ne ames formas , quæ te deforment : sed ama eum , quem amando te faciet formosum . Quam violentum est amanti , separari rebus amatis ! ut meritò ab illis separandus , & illis à te jam separatis , possis cum singultu vocis , & planctu cordis , clamanti Poëtæ acclamare :

Heu dolor est gratis abscedere rebus amatis.

21. DIES NOVEMB.

Maria quidquid egit , disciplina est . *S. Ambrosius serm. 2. de virg.*

Maria
Præsen-
tatio.

Quamvis quis est avidus ut sciat , tantum sit cupidus ut discat : non enim acquiritur doctrina sine disciplina . Magistra nobis est una , sed communis omnium , sub cuius disciplina , hauries præcepta omnia virtutum omnium . Adhuc vernabit in flore infantia , flos virginum , in qua tamen , præter ætatem nihil erat puerile : necdum enim nata , jam erat cælo adulta , quia cælestibus virtutibus matura . Itaque jam tum in

Pars III.

Nnn

viridi